



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

8. Februarii. Si vis scire, quid à te velit Deus, omni te primùm affectu & in alterutram partem propensione exuas, necesse est. S. Ignat. in Exercit. hebdom. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

quo congregandum, tantò decet suis viribus minùs fidere; accersendæ sunt superpetiæ. Hostis noster dæmon est, & fortissimus, quis solus cum solo congregi præsumat?

Candor ille animi se, & sua dejectione alienæ submittentis novum è Cælo robur accersit, quo munitus præsidio vafri hostis fraudes non timebit.

Odit lucem Princeps tenebrarum; fugit, dum sua propalari videt consilia: & cuniculi, sic omnes ejus technæ vim amittunt, si pateant.

8. Februarii.

Si vis scire, quid à te velit Deus, omnium primùm affectu & in alterutram partem propensione exuas, necesse est. S. Ignatius in Exercit. hebdom. 2.

In sibilo auræ tenuis loqui Deus consuevit, non auditur in tumultibus, ubi pugnat passio, aut partem in unam impellit natura, non percipitur locutio Dei.

Invitat Deus animam ad solitudinem, dum ei vult ad cor loqui. Solitudo hæc nec loci, nec corporis, sed affectûs est. Tum auditur vox dilecti, ubi solus cum solo conversatur.

Qui deliberat, Deum solum attendat ;
huic consilia sua inædificet, reliqua omnia
caduca sunt : delectant , sed ad tempus ;
profunt, sed non perpetuò.

Omnis electio cauta esse debet, illa verò
cautissima, ex qua pendet æternitas. Nec
affectus hinc, nec sanguis & caro , nec sensus
locum habere debet. Opus est superno
lumine, & prona in te voluntate.

9. Februarii.

*Nunquam agas vel loquaris, nisi prius, an
id placeat Deo, prosit tibi, edificationique
futurum sit proximo, cogitaveris. S.
Ignat. ap. Lyr.*

UT humanæ, ita & divinæ prudentiæ
amuffis lingua est. Hac, qui ritè uti
novit, næ ille in utrâque magister sit.
Nulla hâc artium difficilior. Qui in lin-
gua non offendit, hic perfectus est vir.

Ars nulla sine regula discitur : illa pro
arte bene loquendi securissima ; si ter versum
bum revocetur ad limam , priusquam ses-
mel erumpat ad linguam ; scilicet ne Deo,
ne sibi, ne proximo noceat. Hæc si in usu
esset omnibus, multò minùs , sed meliùs
loqueremur.

Mi,